geſta eſt, credendum [1] eſt præcedentem ſtipulationem vocem ſpondentis ſubſecutam eſſe. Accepta 17. Kalend. Maji, SEVERO III. & VICTORINO CONSS. 201.

Si pater filiæ ſtipuletur.

2. Iidem AA. Petronio.

SI filiæ [2] tuæ, quam in poteſtate habebas, pecuniam dari ſtipulatus es: paratam obligationem exercere non prohiberis. PP. Non. Novemb. FAUSTINO, & RUFINO CONSS. 211.

Si quis alteri ſtipuletur.

3. Imp. ANTONINUS A. Hadriano.

SI cum pecuniam tuam crederes accommodato nomine Juliani, ſtipulatio in perſonam ejus abſentis [3] directa eſt, cum nihil ſit actum ea verborum conceptione, intelligis ſuperfuiſſe [4] tibi rei contractæ obligationem: ac propterea ſi pecuniam a debitore Julianus exegerit [5], eamque ſolutionem ratam habuiſti: habes adverſus eum negotiorum geſtorum actionem. PP. 6. Kal. Mart. PRÆSENTE, & EXTRICATO CONSS. 218.

De dote.

4. Imp. ALEXANDER A. Sabinæ.

SEcundum reſponſum Domitii [6] Ulpiani Præfecti annonæ Juriſconſulti amici mei, ea, quæ ſtipulata eſt, cum [7] moreretur, partem dimidiam dotis, cui [8] velit relinquere: reddi ſibi, cum moreretur, eam partem dotis ſtipulata videtur. PP. 2. Kal. April. ALEXAND. A. CONS. 223.

De nuda pollicitatione, & pœnali ſtipulatione ſubjecta.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Iſidoræ.

NUda [9] pollicitatione, ſecundum ea, quæ ſæpe conſtituta ſunt [10], ad præſtanda ea, quæ promiſerat [11], urgeri quenquam non [12] ſemper jura permittunt. Verum quoniam præterea ſi contra pactum fecerit [13], quanti [14] ea res eſt, dari tibi ſtipulanti [15] adverſarium tuum promiſiſſe proponas: hujuſmodi etiam obligationis poſt motam litem extitiſſe conditionem [15], & ejus ſummæ, quæ in hac [17] quoque ſtipulatione continetur, petitioni locum factum eſſe convenit. S. 5. Kal. Dec. AA. CONSS.

De ſtipulatione ſubjecta tranſactioni.

6. Iidem AA. & CC. Erotio.

SCire debuiſti, quæ ſub tranſactione dari placita ſunt, certi [18] vel incerti ſtipulatione ſubſecuta peti poſſe. S. 16. Kal. Januar. *Sirmii*, AA. CONSS.

De abſentia tutoris, vel curatoris.

7. Iidem AA. & CC. Antonio.

NEque tutoris [19] neque curatoris abſentia quicquam ſtipulationi nocet: cum & fœminam [20] minorem vigintiquinque annis abſente curatore ſtipulari [21] poſſe non ambigatur [22]. S. 16. Kal. Februar. CC. CONSS.

De promiſſione impoſſibili.

8. Iidem AA. & CC. Poſidonio.

NOn moriturum præſtari ſervum impoſſibilis [23] promiſſio eſt. Poſt [24] mortem autem ejus ſtipulatus, recte ſolutionem poſtulat. S. 12. Kalend. Mart. CC. CONSS.

De metu.

9. Iidem AA. & CC. Capitoni.

SI [25] quidem Zenoni ſtipulanti mortis [26], vel cruciatus corporis territus timore ſpopondiſti: adverſus experientem exceptione propoſita defendi potes. † Sin vero nihil tale probetur, accuſationis [27] inſtitutæ, vel futuræ prætextu: non ob turpem, ſed probabilem cauſam habita ſtipulatione, promiſſio non infirmatur. † Sin autem ob [28] non inſtituendam accuſationem criminis pecunia promiſſa ſit, cum de hujuſmodi cauſis paciſci non liceat, petitio denegatur. S. 5. Id. Octob. *Varuariæ*, CC. CONSS.

De verbis.

10. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

OMnes ſtipulationes, etiamſi non ſolennibus [29], vel directis, ſed quibuſcunque verbis conſenſu contrahentium compoſitæ ſunt, legibus cognitæ, ſuam habeant firmitatem. Dat. Kalend. Januar. *Conſtantinop.* MARTIANO & ZENONE CONSS. 469.

Poſt mortem, cum morietur, pridie quam morietur.

11. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

SCrupuloſam [30] [veterum] inquiſitionem utrum *poſt* [31] *mortem*, an *cum* [32] *moreretur*, vel *pridie* [33] *quam moreretur*, ſtipulatus ſit aliquis, vel in teſtamento legati, vel fideicommiſſi nomine aliquid reliquerit, penitus amputantes; omnia [34] quæ vel quocunque contractu, vel ſtipulati, vel pacti ſunt contrahentes, vel teſtator in teſtamento diſpoſuerit, etiamſi poſt mortem, vel pridie quam moreretur, ſcripta eſſe noſcuntur; nihilominus pro tenore contractus vel teſtamenti valere præcipimus. Dat. 3. Idib. Decemb. *Conſtantinop.* D. N. JUSTINIANO A. PP. II. CONS. 528.

De pœna promiſſa, ſi ſtatuta die ſolutum non fuerit.

12. Idem A. Mennæ P. P.

MAgnam legum veterum obſcuritatem, quæ protrahendarum litium maximam occaſionem uſque adhuc præbebat, amputantes, ſancimus: ut ſi quis certo tempore factum ſe aliquid, vel daturum ſtipuletur [35] vel quæ ſtipulator voluit, promiſerit, & adjecerit, quod ſi ſtatuto tempore minime hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit: ſciat minime ſe poſſe debitor ad evitandam pœnam adjicere, quod ſe nullus [37] eum admonuit: ſed etiam citra ullam admonitionem eidem pœnæ pro ſtipulationis tenore fiet obnoxius: cum ea, quæ promiſit, ipſe in memoria [38] ſua ſervare, non ab aliis ſibi manifeſtari [39] deberet poſcere. Datum 9. Idib. April. *Conſtantinop.* DECIO V. C. CONS. 529.

De heredibus.

13. Idem A. Juliano P. P.

VEteris juris altercationes decidentes, generaliter ſancimus [40] omnem ſtipulationem, ſive in dando, ſive in faciendo [41], ſive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad [42] heredes & contra [43] heredes tranſmitti, ſive ſpecialis [44] heredum fiat mentio, ſive non. Cur enim quod in principalibus perſonis juſtum eſt, non & ad heredes & adverſus eos tranſmittatur? Et ſic exiſtimentur hujuſmodi ſtipulationes, quaſi tantummodo in dando fuerint conceptæ, cum nihilominus, & heredes factum poſſint adimplere: illa ſcilicet ſupervacua ſcrupuloſitate exploſa, per quam putabant non eſſe poſſibile factum [45] ab alio compleri, quod alii impoſitum eſt. Et enim re, cum pene [46] ſimilis omnium hominum natura eſt, non etiam facta omnes, vel plus, vel paulo minus adimplere poſſint: ne hujuſmodi ſubtilitate [47] cadant hominum voluntates. Dat. Kal. Aug. *Conſtantinop.* LAMPADIO, & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De ſcriptura.

14. Idem A. Joanni P. P.

OPtimam quæſtionem, & frequenter in judiciis verſatam, [illegible] humanam eſt ſaltem in poſterum dirimere, ne diutius hoc noſtram rempublicam moleſtare concedatur. In multis etenim contractibus, & maxime in fœneratitiis cautionibus, ſolitum [48] eſt adſcribi, ſtipulationes per certos ſervos celebrari: ſed quidam inter veteres ex hoc materiam altercationis acceperunt: & alii quidem [illegible] ſervum adhibitum contendebant: alii vero non ipſum ſervum eſſe, ſed quem pertinere ſcriptura proteſtabatur. Et ſi non per ſervum, ſed inter præſentes celebratam [eſſe] rem fuerat ſcriptum, & non rum dubitabatur debere oſtendi partes eſſe præſentes. Cum itaque ſatis utile eſt [49] in contractibus, & ſervos adhiberi, & præſentes ſe perſonas adſcribi, forte propter perſonas dignitate excelſas [50], vel mulieres (quas naturalis [51] pudor non omnibus perperam ſe manifeſtare concedit) ſancimus tales ſcripturas omnifariam eſſe credendas [52] & ſive adſcriptus fuerit ſervus, & ad quandam perſonam dicere pertinere, credi omnimodo, & ſervum adfuiſſe, & feciſſe ſtipulationem, & eam eſſe ſcripto domino acquiſitam: & non dubitari, ſi ſervus ipſe præſto fuerit, vel ejus dominus, pro quo ſcriptus eſt feciſſe ſtipulationem. Et ſi inter præſentes partes res acta eſſe dicitur, & hoc eſſe credendum: ſi tamen in [53] eadem civitate utraque perſona in eo die commanet, in quo hujuſmodi inſtrumentum conſcriptum eſt: niſi is, qui dicit ſeſe, vel ad-

1 *d. l.* 30. *l.* 134. *d.* §. 17. *d.* §. *ult.* 2 Pater filio in poteſtate poſito ſtipulando, videtur ſibi ipſi ſtipulari & ſibi adquirere: vide *l.* 39. *ff. h. t.* 3 Alteri nemo ſtipulatur. *l.* 38. §. 17. *ff. h. t.* 4 Cum duo contractus uniuntur, unus utilis, alter inutilis, agitur ex utili. *l.* 9. §. 4. *ff. de reb. credit. l.* 46. *ff. ſoluto:* adde *l.* 126. §. 2. *ff. de verb. oblig.* 5 Qui pecuniam alterius exigit, negotiorum geſtorum actione tenetur. 6 Ulpianus præfectus annonæ, Juriſconſultus & amicus ab Alexandro Imperatore appellatus. 7 *l.* 45. §. 1. *ff. h. t.* §. 15. *Inſt. de inutilib. ſtipulat.* 8 *Cui ſi moriens dotem reliquero, eidem dotem dare ſpondes?* Mulier inteſtata mortua eſt, aut certe dotem nulli reliquit. Quid juris? videtur mulier heredi ſuo ſtipulata, *ut hic:* Inteſtata quoque muliere ſtipulatio committitur. *l.* 25. *in fin.* ꝯ. *de jure dot.* 9 Nuda pollicitatio. vide *l.* 10. ꝯ. *de pactis.* ψιλὴ ἐπαγγελία. *Syn. Baſil.* 24. *tit.* 9. *ex l.* 44. *tit.* 5. *c.* 5. 10 Qua de re conſtituitur juris regula *l.* 7. §. 5. *in fin. ff. de pact.* & νόμιμον ψήφισμα dicitur a Leone. *Nov.* 72. 11 Promittendi verbo quid continetur, vid. Cuj. 15. *obſerv.* 22. 12 Non ſemper quis ex nuda pollicitatione tenetur. Verum ſi promiſerit, Ni fecero, pœnam præſtabo, quanti res promiſſa fuerit, promiſſum non præſtans, pœnam committit. *Synopſ. d. c.* 5. 13 Adverſarius ſcil. 14 Vide *l. ult. ff. de ſtipul. prætor.* 15 Stipulatio pœnalis pacto adjecta pactum confirmat. *l.* 27. 28. ꝯ. *de pact. l.* 3. ꝯ. *de rer. permut. l.* 45. *ff. de pactis. l.* 15. *ff. de tranſact.* 16 Quia judicio commonitus adverſarius pactum non implevit: & ita ſtipulatio quanti res eſt ob litem non defenſam, non protinus committitur: ſed lite conteſtata aut in ipſo articulo litis conteſtatæ, & ipſa ſtipulatione *l.* 13. *verſ. proinde. ff. judicat. ſolvi.* vide Cujac. 19. *obſ.* 33. 17 Id eſt, conteſtatam. 18 Vide *Inſt. de verb. oblig.* 19 §. 9. *Inſt. de inutilib. ſtipul. in pr. l.* 1. ꝯ. *de auct. præſt.* 20 Aliud jus in maſculo pubere: poteſt enim pubes obligari. *l.* 101. *ff. de verb. oblig. l.* 1. ꝯ. *de inutil. ſtip.* datur tamen ei præſcriptio, id eſt, exceptio, ſi deceptus ſit vel læſus. *l.* 7. *in fin. ff. de exceptionib.* Nam lex 3. ꝯ. *de in integ.* ad venditiones pertinet: hoc eſt, *in d. l.* 3. *in fin.* pubes curatorem habens, ſine curatore vendidit, ideoque non obligatur: curatorem non habens, venditione obligatur quidem, verum reſtituebatur: nec ſola exceptione juvabatur. vide Cujac. 19. *obſ.* 33. 21 At non promittere. Ulp. 11. §. 27. 22 Lege Lætoria id conſtitutum fuit. vid. Cujac. 19. *obſ.* 33. 23 Vid. *l.* 35. *ff. h. t. l.* 1. §. 2. *ff. de cond. & demonſtr.* 24 Vide *l.* 45. §. 2. *ff. h. t.* §. 16. *Inſt. de inutil. ſtip.* 25 Stipulanti promittens metu mortis, vel cruciatus corporis conventus exceptionem habet, *ut hic in pr.* ſin vero ob probabilem, non ob turpem cauſam promiſit, tenetur, *verſ. ſin vero:* ſin ob non inſtituendam criminis accuſationem, non tenetur. *verſ. ſin autem. Synopſ. Baſil. ib. c.* 9. 26 Metus mortis vel cruciatus ſtipulationem vitiat. *l.* 5. ꝯ. *de inutil. ſtipul.* §. 1. *Inſtit. de exceptionib. l.* 1. *ff. quod met. cauſa.* 27 Metus litis motæ vel movendæ non vitiat ſtipulationem. *l.* 10. ꝯ. *de his quæ vi met.* 28 Adde *l.* 18. ꝯ. *de tranſact.* 29 Quænam verba ſolennia & directa eſſent, vide §. 1. *verſ. ſed hæc ſolennia. Inſt. de verb. obl.* adde quæ notavi ad *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* 30 Nam olim *poſt mortem ſuam* nemo ſtipulari, aut promittere poterat. §. 13. *Inſt. de inut. ſtip. Cum moreretur*, aut, *cum morietur*, poterat. §. 15. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Goth. Declarationem hujus l. vide apud Teſſaur. *deciſ.* 212. & quando purgatio moræ admittatur quando non. adde Papon. *lib.* 12. *tit.* 10. *arreſt.* 1. Chriſtin. *deciſ. Belg. vol.* 4. *deciſ.* 176. & Grivell. *deciſ.* 92. Anſ. 31 *l.* 45. §. 1. §. 2. *ff. h. t.* §. 2. & 113. *Inſtit. de inutil. ſtipul. l.* 20. *ff. de jure dot.* 32 *l.* 6. ꝯ. *h. t.* §. 15. *Inſt. de inutilib.* 33 *d.* §. 13. *verſ. ſed & ſi quis.* 34 Obſerva regulam *l. un.* ꝯ. *ut act. & ab hered.* 35 *Stipulatori*, Haloand. Stipulatori aliive quem ſtipulator voluit, promiſerit &c. vid. Cujac. 19. *obſerv.* 37. 36 Ubi dies interpellat, pœna committitur, *l.* 23. *ff. de verb. oblig.* adde *l.* 4. *ff. de l. commiſſ. l.* 18. *ff. de uſur.* alias ibi nulla mora eſt, ubi nulla eſt petitio. *l.* 127. *ff. h. t.* 37 Dies interpellat pro homine, *ut hic*, & *l. trajectitiæ.* 23. *verſ. de illo. ff. de obl.* niſi dies adjecta ſit obligationis augendæ, vel finiendæ cauſa, vel brevior ſit, vel legitima, non tacita: vide Socinum *regula dies.* 90. 38 Facti proprii ignorantia non excuſat. 39 Certiorari non debet, qui non ignoravit. *l.* 1. *in fin. ff. de act. empt. cap.* 31. *de reg. jur. in* 6. adde *l.* 43. §. 1. *ff. de contrah. empt.* 40 Obligationes & ſtipulationes & promiſſiones dandi vel faciendi, vel ex utroque mixtæ heredibus & in heredes competunt: ſive heredum ipſorum facta mentio ſit, ſive non ſit. Nam quod in principalibus conſtitutum eſt, idem & heredes præſtare poſſunt, nec tantopere jus ſtrictum ſpectandum eſt. *Synopſ. Baſil. d. tit.* 4. *c.* 13. Goth. Hæc eſt 47. deciſio ex 50. novis Juſtiniani. Vide Inglois, & Gœdd. *de contrah. ſtip. cap.* 4. *num.* 145. 147. & 150. *cum ſeqq.* Anſ. 41 *l.* 2. *ff. h. t.* 42 Cur ita? vide *l.* 9. *in fin. ff. de probationib.* 43 *l.* 133. *ff. h. t.* 44 *d. l.* 133. 45 Hodie factum per alium impleri poteſt, *ut hic:* adde *l.* 5. *ff. de duobus reis.* 46 Non tamen vere: eſt enim inter artifices longa differentia, ingenii, naturæ, doctrinæ & inſtitutionis. *l.* 31. *ff. de ſolut.* operæ non ſunt eædem. vide *l.* 26. §. 12. *verſ. Sed ſi. ff. de condict. indeb. l.* 12. *ff. de leg.* 3. 47 Subtilitas nimia legibus odioſa. 48 Cur ita? dixi de hac lege ad Edictum Juſtiniani 7. *cap.* 2. *l.* 5. §. 4. *D. de auct. & conſ. tut.* 49 *d.* §. 4. *d. c.* 2. 50 *d.* §. 4. 51 Pudor naturalis in muliere, *ut hic. l. ult.* ꝯ. *de arbitris.* 52 Statur ſcripturæ, & inſtrumento, niſi contrarium probetur. *l.* 1. ꝯ. *h. t.* præſumitur pro inſtrumento. *l.* 18. *ſupr. de probat.* §. 11. *Inſt. de inut. ſtipul.* 53 Hinc colligunt, præſumi quemlibet ex ea civitate eſſe in qua reperitur. Vide Alc. 2. *præſ.* 15.

verſarium

verſarium abfuiſſe, liquidis, ac manifeſtiſſimis probationibus, & melius quidem ſi [1] per ſcripturam, vel ſaltem per teſtes [2] undique idoneos, & omni exceptione majores oſtenderit, ſeſe, vel adverſarium ſuum eo die civitate abfuiſſe: ſed hujuſmodi ſcripturas propter utilitatem contrahentium eſſe credendas. Datum Kalend. Novembr. poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

Si quis ſpoponderit inſulam, cum moriebatur, ædificare.

15. Idem A. Joanni P. P.

SI quis ſpoponderit inſulam, *cum* [3] *moriebatur*, ædificare [4] ſtipulatori, impoſſibilis veteribus [5] videbatur hujuſmodi ſtipulatio: ſed nobis ſenſum contrahentium diſcutientibus, veriſimile eſſe videtur hoc inter eos actum, ut incipiat quidem contra morientem obligatio, immineat autem heredibus ejus, donec ad effectum perducatur. Nemo enim ita ſtultus invenitur, ut tali animo faceret ſtipulationem, ut putaret poſſe tantum ædificium in uno [6] momento horæ extollere: vel eum, qui moritur, talem habere ſenſum, quod ipſe ſufficeret [7] ad hujus operis completionem. §. 1. Sancimus itaque ſi quid tale evenerit, heredes [8] ejus teneri, ut factum quod mortis tempore facere promiſit, hoc heredes ejus adimpleant, quaſi ſpeciali heredis mentione habita, licet hoc minime fuerit expreſſum. Quemadmodum enim ſi in dando [9] concepta fuerit ſtipulatio, & contra heredes tranſmittebatur: ita & ſi in faciendo eſt, licet in mortis tempore colligatur, attamen ad ſimilitudinem in dando conceptæ ſtipulationis, & heredes obligari: ut non [10] diſcrepet factum a datione, ſed ſit lex noſtra per omnia ſibi conſentanea. Quod & [11] in legatis ſimili modo relictis obſervari cenſemus. Dat. 15. Kal. Novemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. anno ſecundo 532.

TIT. XXXIX.
DE INUTILIBUS [12] STIPULATIONIBUS.

De pupillo.

1. Imp. ANTONINUS A. Paulino.

EX ſtipulatione, in qua impubes [13] ſine tutore auctore ſpopondiſti, non [14] es obligatus. PP. Kal. Jul. *Romæ*, LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

De divortiis.

2. Imp. ALEXANDER A. Menophilo.

LIbera [15] matrimonia eſſe antiquitus placuit: ideoque pacta, *ne* [16] *liceret divertere*, non valere; & ſtipulationes, quibus pœnæ irrogarentur ei, qui [quæve] divortium feciſſet, ratas non haberi conſtat. PP. 3. Non. Februar. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De abſentibus: ſi quis alteri ſtipuletur.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Iſidoræ.

UT inter abſentes [17] verborum obligatio contrahi non poteſt: ita alteri [18], cujus juri ſubjectus non eſt, aliquid dari, vel reſtitui (niſi ſua interſit [19]) nemo ſtipulari poteſt. Cum igitur defuncta in matrimonio filia tua, ſuperſtitis filii nomine partem dimidiam dotis a marito detineri, alteram vero partem nepoti tuo, vel ſi is in rebus humanis non eſſet, Juliano reſtitui per pactum conveniſſe proponas: præventoque morte nepote, etiam ſtipulationem ad Julianum factam, ob abſentiam ejus non valuiſſe ſignifices: ac propterea ex perſona, ac ſtipulatione tua, qua reſtitui cuncta juxta pactorum tenorem provideras, reddi tibi deſideres; ſuper ſtipulatu [20] tuo adi Præſidem provinciæ: ut examinatis partium allegationibus quanti [21] conſtiterit intereſſe tua juxta placiti fidem dotis portionem Juliano fuiſſe reſtitutam, ob incertæ actionis effectum concludat condemnationem taxatæ quantitatis. PP. Idib. Dec. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De ſucceſſione futura, & omnino de his, quæ ſunt contra bonos mores.

4. Iidem AA. & CC. Dominæ.

EX eo inſtrumento nullam vos habere actionem [in quo] contra [22] bonos mores de ſucceſſione [23] futura [24] interpoſita fuit ſtipulatio, manifeſtum eſt: cum omnia, quæ contra bonos mores, vel in pactum, vel in ſtipulationem deducuntur, nullius momenti ſint. PP. 3. Kal. Maji, AA. CONSS.

De dolo & metu.

5. Iidem AA. & CC. Aquilinæ.

DOlo [25] vel metu [26] adhibito, actio quidem naſcitur ſi ſubdita ſtipulatio ſit: per doli mali tamen vel metus exceptionem ſummoveri petitio debet. S. 13. Kal. Octobr. AA. CONSS.

Si quis alteri ſtipuletur.

6. Iidem AA. & CC. Septimio.

SI avia veſtra ſibi & Euſtolio, quam mutuam dederat pecuniam, dari fuerat ſtipulata: nihil ei [27] cujus ſubjecta juri non fuerit, quærere potuit. Sane, ſi ipſe quod ei ſolvi placuerat, in ſtipulationem ſuo nomine deduxerit, obligationem in ejus etiam perſonam conſtitiſſe non ambigitur. S. 5. Kalend. Octobr. CC. CONSS.

TIT. XL.
DE DUOBUS [28] REIS STIPULANDI, ET PROMITTENDI.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Paulinæ.

SI [29] duo pluresve, rei cujuſdam traditione [30] conventionem in ſolidum inierint, cuicunque eorum, quamdiu [31] res in eadem cauſa permanſerit, ſi caſus obtulerit, actio in ſolidum competit. PP. 3. Non. Decemb. MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

2. Iidem AA. Diogeni.

CReditor prohiberi non poteſt exigere debitum, cum ſint duo rei promittendi ejuſdem pecuniæ, a quo [32] velit; & ideo ſi probaveris te conventum in ſolidum exſolviſſe, Rector provinciæ juvare te adverſus [33] eum cum quo communiter mutuam pecuniam accepiſti non cunctabitur. S. 5. Kal. Mart. DIOCLETIANO III. & MAXIM. AA. CONSS. 287.

In AUTH. de duobus reis. in princ. & §. ſeq. coll. 7. tit. 13. al. 9. Novell. 99. cap. 1.

H*Oc ita, ſi pactum fuerit ſpeciale* [34], unumquemque teneri in ſolidum: *& ſi alter inops ſit in ſolidum, vel in partem, ut id ſaltem ab altero petatur: vel ſi abſens ſit. Cum enim ambo adſunt, per Judicem producuntur, negotiumque communiter examinatur, & ſententia communiter infertur. Quod fiet per adminiſtratorem, ſi judex ſit delegatus. Sin autem non convenerint ſpecialiter, ex æquo ſuſtinebunt onus. Sed & ſi convenerint, ut uterque eorum ſit obligatus: ſi ambo præſentes ſint, & idonei, ſimul cogendi ſunt ad ſolutionem.*

3. Iidem AA. & CC. Fabiano.

EXprimere debueras tuis precibus, utrumne *in partem*, an *in ſolidum* ſinguli vos obligaveritis, ac duo rei promittendi extiteritis: cum ſi quidem ab initio unuſquiſque pro [35] parte ſit obligatus, egredi contractus fidem non poſſit. Si vero in ſolidum, electio reſcripto [36] adimi non debeat. S. Id. April. *Byzantii*, AA. CONSS.

4. Iidem AA. & CC. Andronico.

PRopter mutuam uni [37] datam [38] pecuniam aliis reis promittendi factis, ob [39] non numeratam ſibi pecuniam obligationem remitti deſiderio poſtulantium jura refragantur. S. 5. Idus Febr. *Sirmii*, CC. CONSS.

Interpellatio facta ab uno de correis credendi, interrumpit præſcriptionem etiam quoad cæteros. Salic.

5. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

CUm quidam rei ſtipulandi certos habebant reos promittendi, vel unus forte creditor duos, vel plures debitores habebat, vel e contrario multi creditores unum debitorem, & alii ex reis promittendi ad certos creditores debitum agnoverunt, vel per ſolutionem, vel per alios modos quos in anterioribus ſanctionibus interruptionis invenimus poſitos: & nos ampliavimus, vel forte ad unum creditorem quidam ex debitoribus devotionem ſuam oſtenderunt, vel cum plures eſſent creditores, debitor qui ſolus exiſteret, ad unum ex his, vel quoſdam debitum agnovit: & *quærebatur*, ſi eis vel ei daretur licentia adverſus alios indevotionem ſuam exercere, & quaſi tempore emenſo exactionem recuſare, vel quibuſdam ex debitoribus debitum agnoſcentibus, vel in judicio pulſatis, deberent & alii ab omni contradictione repelli: nobis [40] pietate ſuggerente videtur eſſe humanum, ſemel in uno eodemque contractu qualicunque interruptione [41], vel agnitione [42] adhibita, omnes ſimul compelli ad perſolvendum debitum, ſive plures ſint rei, ſive unus: ſive plures ſint creditores, ſive non amplius quam unus: ſancimuſque in omnibus caſibus quos noſter ſermo complexus eſt, aliorum devotionem vel agnitionem, vel ex libello admonitionem aliis debitoribus præjudicare, & aliis prodeſſe creditoribus. Sit itaque generalis devotio, & nemini liceat alienam indevotionem ſequi, cum ex una ſtirpe unoque fonte unus effluxit contractus, vel debiti cauſa ex eadem actione apparuit. Dat. Kal. Septemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

1 Vide *l.* 3. *in fin. ſupr. ſi minor ſe major.* 2 Plures quam inſtrumento contineantur. vide *l.* 1. *ſupr. de teſtibus.* 3 Id eſt, poſt mortem. §. 12. *Inſt. de inutil. ſtipul.* 4 *d. l.* 13. 5 Promiſſio faciendi, cum quis morietur, utilis eſt. *l.* 13. *ſupr. h. t.* 6 Momento ædificium perfici non poteſt. 7 Morientis operæ morte finiuntur. 8 Vide *l. un. ſupr. ut actiones & ab hered. & contra.* 9 Vide *d. l.* 13. 10 Non diſcrepat factum a datione. 11 Extenſio contractuum ad legata.

12 *L.* 3. *Inſt.* 20. 13 Quid ſi pubes? dixi ad *l.* 101. *ff. de verb. oblig.* adde *l.* 7. *ſupr. de contrah. ſtip.* 14 Imo es. *l.* 101. *ff. de verb. oblig.* Solve: Impubes non poteſt, *ut hic*, pubes poteſt *ut d. l.* 101. 15 Libera matrimonia eſſe oportet vid. *l.* 134. *ff. de verb. obl.* 16 Pactum *Ne liceat divertere*, non valet. *l.* 19. *ff. de verb. obl. l.* 71. §. 1. *ff. de cond. & demonſt.* In matrimonio nemo detinetur invitus. Hodie detinemur inviti nec libera nobis ſunt divortia. vid. *Novell.* 22. *cap.* 14. 17 *l.* 1. *ff. h. t.* Paul. 5. *ſent.* 7. §. 2. *l.* 1. *in pr. ff. de verb. oblig.* 18 *l. ult.* ꝯ. *h. t.* §. 18. *Inſtit. h. t. l.* 38. §. 17. *ff. de verb. oblig.* 19 §. 19. *Inſt. h. t. l.* 38. §. 20. *ff. de verb. oblig.* 20 Quoties de eo quod intereſt agitur, petitio incerta admittitur per ſententiam definiendum. 21 Quantum, vide quæ notavi ad *l. ult. in fin. ff. de ſtip. prat.* 22 Stipulatio contra bonos mores, inutilis. *l.* 6. *ſupr. de pactis. l.* 26. *l.* 123. *ff. de verb. oblig.* 23 De ſtipulatione mutuæ ſucceſſionis, ſeu ἀλληλοκληρονομίας dixi ad *l.* 19. *l.* 30. ꝯ. *de pact.* 24 Si qui ſtipulati fuerint, ut prior ex eis moriens alteri det patrimonium ſuum, inutile pactum eſt. *Syn. Baſil.* 24. *tit.* 9. *ex l.* 44. *tit.* 6. *c.* 4. ubi in ora dicitur, hoc pactum eſſe ἀλληλοκληρονομίας. 25 *l.* 9. *ſupr. de pactis. l.* 3. *ſupr. de collat. l.* 7. §. 7. *ff. de pactis. l.* 36. *ff. de verb. obl.* §. 1. *Inſt. de except.* 26 *l.* 9. *ſupr. de contrah. & comm. ſtipulat.* 27 *l.* 3. *ſupr. h. t. l.* 38. §. 17. *ff. de verb. obl.*

28 Dixi ad *L.* 3. *Inſt.* 17. & *L.* 45. *D.* 2. *Novell.* 99. 29 Cujacius 5. *obſ.* 35. monet hanc legem delendam eſſe non injuſte. Nam nec Accurſius, nec veteres eam cognoverunt. Abeſt etiam a veteribus, ut idem monet. 30 *Traditionem* quidam ita legunt, eo ſenſu, Duos ejuſdem rei vindicationem habere in ſolidum. quod eſt falſum: hoc potius innuitur, re tradita, ſi convenerint duo ſibi viciſſim aliquid in ſolidum dari, vel fieri, ſingulos quærere in ſolidum. 31 Hæc etiam verba ſuſpecta Cujacio videntur *d. loco.* Inde putat hanc conſtitutionem damnandam delendamque eſſe. 32 Hodie id immutatum eſt *Auth. proxima* ꝯ. *h. t.* 33 Correo ſolventi datur regreſſus in correum. 34 Duo rei in ſolidum ſpecialiter debent conſtitui: ſin minus, in dubio pro parte tenentur, niſi alter ſit abſens aut non ſolvendo. *Goth.* Vid. Ritterſhuſ. in *explicat. Nov. part.* 3. *cap.* 6. & Joann. Gœdd. *de contr. ſtipul. cap.* 9. *n.* 128. Coſtal. *in l.* 17. *ff. ad SC. Vellejan.* Cuj. *Inſtit. de duob. reis.* Anſ. 35 Pro parte obligati, in ſolidum conveniri non poſſunt. 36 Reſcripto jus litigantium adimi non poteſt. 37 Numeratio uni facta, omnibus facta videtur. *l.* 5. ꝯ. *ſi cert.* 38 Adde *l. ult.* ꝯ. *h. t.* 39 Vid. *l.* 6. ꝯ. *de non num. pec.* 40 Nota regulam. 41 Interpellatio unius correorum debendi impedit præſcribi adverſus cæteros. 42 Agnitio unius correorum alteri correo nocet. adde *l. pen.* ꝯ. *h. t.*

TIT. XLI.

DE FIDEJUSSORIBUS [1], ET MANDATORIBUS [2].

De publicatione bonorum.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Lyſiæ.

SI Lyſias adempta parte bonorum exulare [3] juſſus eſt, nonniſi pro parte, quam retinuit, creditoribus obligatus eſt. Verum qui pro eo [4] fidem ſuam adſtrinxerunt, jure priſtino conveniri poſſunt. PP. Idib. Octobr. SEVERO A. III. & VICTORINO CONSS. 201.

De pignoribus.

2. Iidem AA. Plotio.

CReditori [5], qui pro eodem debito, & [6] pignora, & fidejuſſorem accepit, licet, ſi malit, fidejuſſorem convenire in eam pecuniam, in qua ſe obligaverit, quod cum facit, debet jus pignorum in eum transferre. Sed cum in alia quoque cauſa eadem pignora vel hypothecas habet obligatas, non prius [7] compellendus eſt transferre pignora, quam omne debitum exolvatur. Dat. 5. Kalend. Februar. APRO II. & MAXIMO CONSS. 208.

De electione & beneficio diviſionis.

3. Iidem AA. Maximo.

NOn recte procuratores noſtri, ſi allegationi tuæ fides adeſſet, audire te noluerunt, ex bonis fidejuſſoris, quæ ad fiſcum pervenerunt, pecuniam repetentem, ſed reum principalem convenire juſſerunt: cum electionis poteſtas permittatur [8] creditori. Sed cum duos fidejuſſores accepiſſe te proponas: ſi alter idoneus eſt, intelligis te diviſa quantitate partem competentem a Procuratore [noſtro] petere debere, & adverſus alium fidejuſſorem [ejus] experiri. Nam licet ſignifices adjectum eſſe in obligatione, *ut ſinguli in ſolidum tenerentur:* tamen nihil hæc res mutat conditionem juris & conſtitutionem. Nam & cum hoc non adjiciatur [9], ſinguli [10] tamen in ſolidum tenentur: ſed ubi ſunt omnes idonei, in portionem obligatio dividitur. PP. 17. Kal. Septembr. ANTONINO A. III. & GETA III. CONSS. 209.

In AUTH. de fidejuſſ. & mandat. §. ſi quis igitur, & §. non ſolum. col. 1. tit. 4. Novell. 4. cap. 1.

PRæſente tamen utroque non [11] *permittitur interceſſorem conveniri, prius quam reus inventus eſt minus idoneus, ſive in totum, ſive in partem. Abſente autem reo, præſens interceſſor jure quidem convenitur: Ipſo tamen deſiderante judex definiet tempus, intra quod deducat reum primo conveniendum, ipſo in ſubſidium reſervando. Nam transacto tempore compellitur interceſſor ſatisfacere, ceſſis ſibi a creditore actionibus abſque diſtinctione contractus ſive interceſſionis.*

De novatione.

4. Imp. ANTONINUS A. Rufæ.

NOvatione [12] legitime perfecta debiti in alium tranſlati, prioris contractus fidejuſſores, vel mandatores liberatos eſſe non ambigitur: ſi modo in ſequenti ſe non obligaverunt. PP. 15. Kal. Octobr. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De electione.

5. Idem A. Potamoni.

JUre noſtro eſt [13] poteſtas creditori, relicto reo, eligendi fidejuſſores, niſi [14] inter contrahentes aliud placitum doceatur. PP. 6. Non. Maji, MESSALA, & SABINO CONSS. 215.

De eo, qui tabulas mutui ut teſtis ſignavit.

6. Idem A. Pollæ.

SI pater tuus pro Cornelio, cum pecuniam mutuam acciperet, ſe non obligavit, fruſtra ex eo quod tabulas obligationis, ut teſtis ſignavit [15], conveniris. PP. 11. Kal. Jul. MESSALA & SABINO CONSS. 215.

De eo qui mandavit, ut crederetur ſub pignoribus.

7. Idem A. Eroti.

SI creditor conditioni [16] mandato adſcriptæ, cum pecuniam mutuam daret, in accipiendis hypothecis non paruit: fruſtra te judicio mandati convenit, quando non aliter te obligaſſe intelligaris, quam ſi pignoribus contraheretur obligatio. PP. Kal. Jul. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

Si filius pro patre fidejuſſerit.

8. Imp. ALEXANDER A. Longo.

FIliusfamilias [17], qui pro patre [18], quamvis in venditione fundi, fidejuſſit, tenetur [19]. PP. 2. Idus Octobr. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De pignoribus.

9. Idem A. Ariſtocrati.

ETiamſi de jure obligationis pignorum [20] actum fuerit, fidejuſſoribus liberatio non contingit. PP. 5. Kalend. Decemb. MAXIM. II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De uſuris. 1. *De beneficio diviſionis.*

10. Idem A. Vitali.

FIdejuſſor, ſeu mandator, ſi [21] in [22] uſuras quoque obligatus eſt, juſtam cauſam recuſandi eas ſolvere non habet. §. 1. Ut autem is, qui cum altero fidejuſſit, non ſolus conveniatur, ſed dividatur [23] actio inter eos, qui ſolvendo ſunt: ante condemnationem ex ordine poſtulari ſolet. PP. *

De actionibus cedendis.

11. Idem A. Saluſtio.

CUm alter ex fidejuſſoribus [24] in ſolidum debito ſatisfaciat, actio ei adverſus eum, qui una fidejuſſit, non competit. Potuiſti ſane, cum fiſco ſolveres, deſiderare, ut jus pignoris, quod fiſcus habuit, in te transferretur [25]: & ſi hoc ita factum eſt, ceſſis actionibus uti poteris. Quod & in privatis debitis obſervandum eſt. PP. 7. Kal. Novembr. ALEXANDRO A. III. & DIONE CONSS. 230.

De verbis Græcis.

12. Idem A. Theodoto.

BLanditus tibi eſt, qui non teneri te perſuaſit, quod cum pro alio intervenires, ὅτι [26] ἂν θέλεις ποιήσω [27] dixiſti: cum & his verbis obligationem verborum [poſſe] contrahi, pridem receptum eſt. PP. 6. Kalend. Septembr. AGRICOLA, & CLEMENTE CONSS. 231.

De latrone inveniendo.

13. Pars ex epiſtola GORDIANI A. ad Auxium.

SI Barſatoram [28] latronem Lyſanias Decurio inventurum [29] ſe ſpondiſſet: aut exhibere compellendus eſt, aut tranſmittendus ad Præfectum prætorio, vel ad Præſidem provinciæ.

Quando ſuccurratur fidejuſſori ſolventi, adverſus debitorem.

14. Idem A. Salvio.

MAndati [30] actio perſonalis eſt, quæ ſi nomine fidejuſſoris [31], vel adverſus debitorem, ſeu heredes ejus competit: Præſes provinciæ, quæ deberi compererit, reddi jubebit. Pignora etenim, quæ reo ſtipulandi nexa fuerunt, ita demum ad vos tranſeunt, ſi facta nominis redemptione ſolutio celebrata eſt, vobiſque mandatæ [32] ſunt actiones. Quod ſi factum eſt: ea quoque vobis perſequentibus adverſus [pignorum] poſſeſſores extraordinariam juriſdictionem idem vir Clariſſimus impertietur. PP. 3. Non. Julii, GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De indebiti condictione.

15. Idem A. Claudiano.

SI indebitam [33] pecuniam quaſi ex cauſa fidejuſſionis obſtrictus in cautionem per errorem deduxiſti, tam doli mali exceptione uti, quam condicere [34], ut obligatio tibi accepto feratur, potes. Non eſt autem dubium, fidejuſſorem rei promittendi, bonis ad fiſcum devolutis, ſi idem fiſcus ob debitum reſtituendum fuerit conventus, & ſolverit [35], liberari. PP. 5. Kalend. Decembr. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De electione.

16. Idem A. Maximo.

LIberum fuit [36] antequam lis adverſus omnes fidejuſſores conteſtaretur, unum eorum eligere [37] creditori, ſi modo cæteros minus idoneos exiſtimaret. At nunc poſt [1] litis conteſtationem, petitionem diviſam redintegrari, juris ratio non patitur. PP. 2. Id. Jun. GORDIANO A. II. & POMPEIANO CONSS. 242.

1 Dixi ad *L.* 46. *D.* 1. *&* *L.* 3. *Inſt.* 21. *Novell.* 4. Goth. Vid. Zanger. *de Except. part.* 3. *c.* 8. *num.* 40. Anſ. 2 *d. tit.* 1. 3 Publicatio bonorum debitoris fidejuſſorem non liberat, *ut hic*, *&* *l.* 20. *J. h. t. l.* 53. *ff. h. t.* Cæterum hoc verbo *exulandi* proprie ſignificatur deportatio. vid. Cujac. 15. *obſ.* 35. 4 *l.* 3. *ff. de minoribus.* 5 Licet creditori habenti pignora agere adverſus fidejuſſorem: debet tamen ei pignora cedere, niſi in aliud debitum poſſit venire. *Goth.* Intellectum hujus legis vid. apud Joann. a Sande *deciſ. Friſic. lib.* 3. *tit.* 10. *defin.* 6. Donell. *hic.* Modeſtin. Piſtor. *part.* 2. *q.* 1. Decium *conſ.* 104. Anſ. 6 *l.* 32. *ff. de negotiis.* 7 Vid. *l.* 2. *ſupr. debitor. vend. pign.* 8 *l.* 5. *l.* 16. *J. &* §. 4. *Inſt. h. t. l.* 59. §. 3. *ff. mandati.* hodie non permittitur, niſi abſente correo, vel inidoneo. *Novell.* 4. *c.* 1. 9 Supervacua adjecta non nocent. *l.* 22. §. 1. *ff. quando dies.* 10 Etiamſi centum aut plures ſint fidejuſſores, competit tamen eis diviſionis beneficium. 11 Præſens debitor ſeu principalis prius hodie conveniendus eſt quam fidejuſſor: abrogatur itaque *l.* 3. *ſupr. l.* 16. *l.* 19. *l.* 21. *l.* 23. *J. h. t.* Quid ſi reus principalis, jure vel facto diſcuti non poteſt? vid. *l. Marcell.* 25. *ff. h. t.* Vel difficultate ſumma conveniri tantum poteſt. *ut l.* 2. *ff. qui ſatisdare.* Quid ſi reus principalis citra ullas alienationes in fraudem creditorum factas, *ut l. bona.* 39. *ff. de jure fiſci.* palam ſolvendo non ſit. Quid ſi veterator manifeſtus, aut tyrannus ſit, *ut l. ſi quis ſtipulatus ſit Stichum.* 112. *in fin. ff. de verb. oblig.* vel exceptione munitus. Bart. *in d. l. Marcellus.* Quid ſi beneficio hujus Authenticæ, fidejuſſor renunciavit? Quid ſi lis, qua de agitur ex æquo & bono, non ex apicibus juris ſit decidenda? Quid ſi bona rei principalis apud ipſum fidejuſſorem ſint? *l. ſi procuratorem.* 8. §. *ſi ignorantes.* 7. *ff. mandati.* ſucceſſionis jure. *l.* 24. *J. h. t.* Quid ſi facta novatione, rei principalis obligationem fidejuſſor in ſe ſuſcepit? Bald. *in l. antiquæ.* 23. §. *ſed ſi minus.* *C. ad SC. Vellejan.* aut negavit ſe fidejuſſiſſe. *l. ſi dubitet.* 10. §. 1. *ff. h. t. & ibi Angel. Bald. Auth. contra qui propriam. ſupr. de non numerata.* Quid ſi pro filio pater fidejuſſit. vid. *l.* 3. §. *ſed utrum.* 4. *ff. de minorib.* Quid ſi fidejuſſor judicio ſiſti ſit, *ut in Gloſſ. l.* 2. *ff. qui ſatisdare?* Quid ſi reus principalis naturaliter tantum obligatus eſt, ut ſervus & pupillus. *d. l. Marcell.* 25. aut abſens ſit extra territorium elapſa dilatione ejus requirendi fidejuſſori data, *ut hic:* aut mora jam admiſſa mortuus ſit? Pet. Accurſ. Bald. *l. pen. ſupr. de condit. inſertis.* His caſibus fidejuſſor etiam non diſcuſſo principali conveniri poterit. vid. Capellam Tholozanam *& ibi* Aufrerium *dec.* 191. adde & alios caſus, de quibus dixi *Nov.* 4. *c.* 1. 12 Novata rei principalis obligatione fidejuſſor liberatur, niſi in novata poſteriore ſe obligaverit. *l.* 60. *ff. h. t. Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 26. *tit.* 1. *c.* 72. 13 *l.* 3. *C. h. t.* hodie non eſt. *Auth. præſente. ſupr. h. t.* 14 Poteſt conveniri, ut reus principalis prius conveniatur quam fidejuſſor. 15 *Adſignavit*, Cuj. *ad l.* 126. §. 2. *ff. de verb. oblig.* Subſcribens ut teſtis non fidejubet, nec obligatur. dixi ad *l.* 14. *ſupr. ſi cert.* add. *d.* §. 2. Idem ſi quis ſe non viſis, vel non lectis ſubſcripſit: vel ſi inſtrumento ſubſcripſit quædam utilia, quædam ſibi damnoſa continenti: tunc enim damnoſis non cenſetur ſubſcripſiſſe: alias ſubſcribens inſtrumento id adprobare intelligitur. vid. Socin. *reg. ſubſcribens* 385. 16 Conditioni mandato adſcriptæ parendum. *l.* 44. *in fin. ff. h. t.* ideoque mandans, ut alicui credat pignoribus datis non poteſt ab illo conveniri ſine pignoribus credente. 17 Filiusfamilias pro patre fidejubere poteſt. *l.* 10. §. 2. *ff. h. t. l.* 1. *in fin. ſupr. de filiofam. minor. l.* 9. *ſupr. quod cum eo, qui in alien. l.* 8. *ſupr. ad SC. Vellejan. l.* 2. §. 3. *ff. qui ſatisdare.* 18 Et alio. *l.* 5. *C. quod cum eo.* 19 Niſi non ſit heres. *l.* 1. *ſupr. de filiofam. minore.* 20 Perſecutio pignoris fidejuſſorem non liberat. *l.* 13. §. 4. *ff. de pignorib.* & e contra. *l.* 8. *ſupr. de pignorib.* 21 Fidejuſſor uſurarum nomine non tenetur, niſi uſuras expreſſe promiſerit, *ut hic:* aut in omnem cauſam fidejuſſerit. *l.* 68. §. 1. *ff. h. t. l.* 54. *ff. locati. l.* 2. §. 12. *ff. de adminiſtr. rerum.* 22 In uſuras etiam poteſt obligari fidejuſſor. 23 Beneficium illud diviſionis vocatur, & epiſtolæ Divi Hadriani. *l.* 26. *l.* 28. *ff.* §. 4. *verſic. ſed ex epiſt. Inſt. h. t. Novell.* 99. adde *l.* 1. *ſupr. de dividend. tutel.* 24 Fidejuſſor ſolvens, ceſſis actionibus agit in confidejuſſorem. 25 Id eſt, ut cedantur actiones. De beneficio cedendarum *l.* 14. *l.* 21. *J. & l.* 17. *l.* 36. *l.* 39. *D. h. t. l.* 76. *ff. de ſolut. l.* 2. *ſupr. de his, qui in prior. credit.* 26 Ὅτι ἐγγυῶμαι τόνδε. *Baſil.* Cujac. 14. *obſ. ult.* alii legunt, τι μή. Cujac. *Inſt. eod.* ἐγγυάομαι. Alciatus 1. *pareg.* 3. reponit, λέγω. adde Cujac. 14. *obſ. ult.* 27 Græce poteſt obligari fidejuſſor. *l.* 8. *ff. h. t.* 28 Abarſacoram *Hal.* alii Barſotoram. 29 Inventa res non dicitur, niſi adprehenſa. vid. quæ notavi *ad l.* 3. §. 3. *ff. de adq. vel amitt. poſſeſſ.* 30 Mandati actio perſonalis. 26. *Ecl. c.* περὶ μανδατώρων. vid. *tit.* 1. *ex cap.* 81. 31 Fidejuſſori adverſus debitorem, ejusve heredem competit mandati actio ſine ceſſione. *l.* 26. §. 3. *ff. mandati.* hypothecaria vero, facta ceſſione. *J. h. t.* 32 Vid. *l.* 11. *C. h. t.* 33 Fidejuſſor ſolvens indebitum, agit condictione indebiti. *l.* 22. *C. h. t. l.* 3. *C. de condict. indeb.* adde *l.* 7. *ſupr. de non num. l. ult. C. de condict. ex lege.* 34 Condictionem liberationis Græci vocant τὴν ἄδηλον, quod ſit incerta. vid. Cujac. 19. *obſ.* 35. 35 *l.* 52. *in fin. ff. h. t.* 36 Hodie non eſt. vid. *Nov.* 4. *c.* 1. 37 *l.* 3. *ſupr. h. t.*

De pignoribus.

17. Idem A. Braſidæ.

OMiſſis [2] quoque pignoribus fidejuſſorem a creditoribus utiliter conveniri, niſi [3] in id tantum, quod ex his refici non poterit [4] acceptus ſit: explorati juris eſt. PP. 6. Id. Mart. ATTICO, & PRÆTEXTATO CONSS. 243.

18. Imp. PHILIPPUS A. Smyrnæ.

SI (ut proponis) fundum ob debitum obligatum non juſto [5] pretio vendidiſti: reſiduam quantitatem, quam ex pretio ejusdem ſervare potuiſſes, refundi tibi a fidejuſſore non jure poſcis. PP. 5. Kalend. Auguſt. PEREGRINO, & ÆMILIANO CONSS. 245.

De electione.

19. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Sabino.

SI alienam reo principaliter conſtituto, obligationem ſuſcepiſti, vel fidejuſſorio, ſive mandatorio, vel quocunque alio nomine pro debitore interceſſiſti, non [6] poſſe creditorem urgeri, eum, qui mutuam accepit pecuniam [magis] quam te convenire, ſcire debueras: cum ſi hoc in initio contractus ſpecialiter non placuit, habeat liberam electionem. S. 2. Kalend. Maji, AA. CONSS.

20. Iidem AA. & CC. Aureliano.

SEntentia [7] bonorum omnium ademptionem continente, rei damnati principalis interceſſores eligendi creditori poteſtas non adimitur.

De electione, & de actionibus cedendis.

21. Iidem AA. & CC. Juliano.

SIcut eligendi [8] fidejuſſores creditor habet poteſtatem, ita interceſſorem poſtulantem cedi [9] ſibi hypothecæ, ſive pignoris obligata jure, non prius ad ſolutionem (niſi mandata ſuper hac re fuerit perſecutio) convenit urgeri. S. 11. Kalend. Novembr. AA. CONSS.

De quantitate debiti.

22. Iidem AA. & CC. Hermiano.

SI ultra [10] hoc, quod accepit ea, pro qua te mandatorio nomine interceſſiſſe commemoras, daturum te ſcripſiſti [11]: Præſes provinciæ ex hoc, quod ultra mandatum tuum numeratum eſt, a te nihil exigi patietur. S. 12. Kalend. Maji, CC. CONSS.

De electione.

23. Iidem AA. & CC. Antipatro.

REos principales, vel mandatores ſimpliciter acceptos eligere [12] vel pro parte convenire, vel ſatis non faciente, contra quem egeras primo, poſt [illum] ad alium reverti (cum nullus de his electione [13] liberetur) licet. S. Non. Decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De ſucceſſoribus.

24. Iidem AA. & CC. Pergamio.

FIdejuſſoris quidem heres [14] exemplo rei principalis tenetur. Sed ſi idem utrisque [15] ſuccedat, interceſſionis obligatione finita, velut principalis tantum debitoris heres conveniri poteſt. S. 11. Kal. Januar. CC. CONSS.

De pignoribus.

25. Iidem AA. & CC. Philippo.

PIgnoribus datis a reo principali diſtractis, nec poſt longi temporis intervallum reſiduum [16] a fidejuſſore creditor petere prohibetur. S. 6. Kalend. Januar. CC. CONSS.

De eo, qui promiſit ſe traditurum aliquem, *vel* certam ſummam, niſi id fecerit.

26. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

SAncimus [17], ſi quis pro alio ſpoponderit, *quatenus eum intra certum* [18] *tempus tradat*, vel *certam quantitatem pecuniarum pro eo inferat:* & tempore ſtatuto jam effluente, non poterit eum repræſentare, non [ſtatim] pecunias pro eo ſtipulatas inferre, ſed competere quidem poſt temporis lapſum omnimodo pœnalem actionem; non autem ſtatim ſummam pro qua fidejuſſor admiſſus eſt, profligari. Sed ſi quidem usque ad ſex [19] menſium ſpatium tempus ſtatutum ſit, aliud tamen ei indulgeri [ſancimus], intra quod ſi poſſit perſonam exhibere, & eam tradere, pœna ſit liberatus. Sin autem amplius, quam ſex menſium tempus ab initio conſtitutum eſt: tunc quantacunque temporis curricula data ſunt, tamen poſt lapſum eorum ſemeſtres tantum habere eum inducias, intra quas ſit ei licentia perſonam, & [20] non pecunias reddere. Sin autem, & ſecunda [21] adjectio temporis excedat; tunc omnimodo pœnam pecuniariam perſolvat. Sed ſiquidem poſt ſtatutum ab initio tempus completum maluerit reum pro quo convenitur, defendere: licere ei hoc facere: niſi pacti tenor ad hoc reclamaverit, ſi forſitan ſine [22] defenſione facienda pro eo fidejuſſit. Sed ſi defenſionem ſubierit [23], eam usque ad finem implere: nulla ei licentia concedenda in medio perſonam tradere, & pecuniarum dationem effugere. Sin autem & ſecundum tempus effluxerit, nullo modo ei licentia concedatur, nec ad defenſionis venire præſidium: ſed omnimodo pœnam conferat, niſi intra primum tempus, quod ſtatutum eſt, reus principalis ab hac luce [fuerit] ſubtractus [24]: tunc enim penitus ab exactione pœnæ liberum eum cuſtodiri oportet. Quod ſi ſecundo tempore inſtante mortuus fuerit, nihilominus pœna jam commiſſa a fidejuſſore exigatur: omnibus, quæ in fidejuſſores, quando tali pœnæ fuerint illigati, ſtatuimus, & in heredes [25] pro utilitate eorum obtinentibus. Dat. 6. Kalend. April. *Conſtantinop.* LAMPADIO, & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De eo, qui ſine ſcriptis promiſit aliquem exhibere, *vel* judicio ſiſtere.

27. Idem A. Joanni P. P.

SI fidejuſſor nullam quidem cautionem [26] faciat, oſtendens [27] ſe fidejuſſorem extitiſſe, præſentibus [28] autem tabulariis hoc confeſſus eſt, *Quod in fide ſua eum ſuſcepit:* dubitabatur a Palæſtina [29] advocatione, Utrumne poſt duos menſes liberetur, quaſi ſine ſcriptis fidejuſſione facta ſecundum [30] generalia edicta ſublimiſſimæ Prætorianæ ſedis: an, utpote ſcriptura interveniente, teneatur. Et diviſio alia introducebatur, ſi idem juris eſſe debeat tam in publicis [31] cauſis, quam in privatis. † Sancimus itaque, niſi confeſſio literis expoſita fuerit a fidejuſſoribus [32] ex repræſentatione perſonarum, licet atteſtatio [33] ſuper hoc proceſſerit, attamen [34] [adhuc] ſine ſcriptis eſſe fidejuſſionem, videlicet in [35] cauſis privatis exiſtimari: & duobus [36] menſibus effluentibus ab hujusmodi nexu fidejuſſores liberari: niſi in tempus certum data eſt fidejuſſio. Tunc enim in tantum eam extendi, in quantum etiam atteſtatio fuerit expreſſa. Sin autem in publica cauſa [neceſſitas interveniat], tunc omnimodo atteſtationem pro ſcriptura haberi. Multis etenim privilegiis propter publicas neceſſitates publico juri præſtitis, non abs re eſt, & nos hujusmodi prærogativam ei condonare. Dat. 12. Kalend. Mart. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

De electione.

28. Idem A. Joanni P. P.

GEneraliter ſancimus, quemadmodum in mandatoribus [37] ſtatutum eſt, ut conteſtatione contra unum ex his facta, alter non liberetur: ita [38] & [39] in fidejuſſoribus obſervari. † Invenimus etenim & in fidejuſſorum cautionibus plerumque ex pacto hujusmodi cauſæ eſſe proſpectum: & ideo generali lege ſancimus, nullo modo electione [40] unius ex fidejuſſoribus, vel ipſius rei alterum liberari: vel ipſum reum, fidejuſſoribus, vel uno ex his electo, liberationem mereri, niſi ſatisfiat creditori: ſed manere jus integrum, donec in ſolidum ei pecuniæ perſolvantur, vel alio modo ſatis ei fiat. † Idemque in duobus [41] reis promittendi conſtituimus, ex unius rei electione præjudicium creditori adverſus alium fieri non concedentes: ſed remanere & ipſi creditori actiones integras, & perſonales, & hypothecarias, donec per omnia ei ſatisfiat. Si enim pactis [42] conventis hoc fieri conceditur, & in uſu quotidiano [43] ſemper hoc verſari aſpicimus, quare non ipſa legis auctoritate hoc permittatur, ut nec ſimplicitas ſuſcipientium contractus ex quacunque cauſa poſſit jus creditoris mutilare? Dat. 15. Kal. Novembr. *Conſtantinopli*, poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

1 Conteſtatione litis tollitur electio, *l.* 53. §. 3. *ff. h. t.* 2 Omiſſis pignoribus fidejuſſor poteſt conveniri, niſi in ſubſidium pignoris ſit acceptus. 3 Id eſt, in ſubſidium. 4 *l.* 41. *l.* 63. *ff. h. t. l.* 56. *ff. mandati.* 5 Vid. *l.* 2. *l.* 8. *C. de reſcind.* Si creditor non juſto pretio pignus vendidit, reſiduum juſti pretii a fidejuſſore non petit. 6 Hodie poteſt. *Auth. præſente. C. h. t.* 7 Dixi ad *l.* 1. *C. h. t.* 8 Hoc hodie correctum. *d. Auth.* 9 De ceſſione actionum dixi ad *l.* 11. *C.* 10 Speciem ita conſtitue: Hermianus mandavit credi 20. Mæviæ: 10. duntaxat numerata ſunt Mæviæ? Hermianus ultra id quod accepit Mævia, conveniri non poteſt, ut hæc conſtitutio pertineat ad legem 15. *C. h. t.* adde *l.* 17. *ff. de pactis.* alia ſpecies proponitur a Cujacio 19. *obſ.* 35. alia ab interpretibus. 11 Epiſtola fidejuſſor & mandator poteſt conſtitui. *ut hic*, ut & pignus. *l.* 34. §. *idem. ff. de pign. & hyp.* 12 Hodie in dubio fidejuſſorem ante principalem eligere non licet. *Authent. præſente. C. h. t.* 13 Qui ab uno reorum debitum petit, non dividit obligationem. Sola petitio non eſt diviſio. vid. *l.* 2. §. 3. *ff. de verb. oblig.* 14 Vid. *l.* 4. *in fin. l.* 5. *ff. h. t.* An & in delictis, vid. *l.* 26. *J. h. t.* vid. Roland. a Vall. 1. *conſil.* 57. *n.* 4. 15 Heres fidejuſſoris reo principali ſuccedens convenitur ut principalis, non ut fidejuſſor. 16 Actio de reſiduo datur etiam in fidejuſſorem. *l.* 56. *ff. mandati.* 17 Fidejuſſor hominis ſiſtendi ſub pœna, intra ſemeſtre tempus (ponamus hoc ſpatium temporis conventum) ſi intra id ſpatium hominem non exhibuerit, tantundem inſuper ipſi temporis conceditur. Sin longius ab initio tempus conſtitutum fuerit, ſex tantum menſium ſpatium habet, ut eum ſiſtat quem promiſit. *ut hic. Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 16. *c.* 87. 3. Harm. 6. §. 25. 18 Puta ſex, ſeptem, vel octo menſes. adde *l.* 27. 28. *J. h. t.* 19 Si quis fidejuſſerit reum judicio ſiſti intra certum tempus hodie pœna ſtatim non exigitur, ſed datur fidejuſſori ſex menſes intra quos ſiſtendo, reus evitet pœnam ipſo jure commiſſam ex priore lapſu; vel brevius: Fidejuſſor intra ſex menſes, moram rei exhibendi vel ſiſtendi evitat. adde quæ ſcripſi ad *l.* 4. *ff. de cuſtod.* Id ſpatium uſus non adprobavit. Clar. 5. *ſent.* §. *ult. q.* 46. coguntur enim fidejuſſores reum exhibere toties quoties (ut illi loquuntur). De hoc remedio fidejuſſorum, vid. Cujac. 19. *obſ.* 34. 20 Primo lapſu reus judicio ſiſtendi perſonam rei ſiſtere debet, non pœnam numerare. 21 Secundo lapſu reus judicio ſiſtendi pœnam ſolvit. 22 Reus alterius ſiſtendi quis eſſe poteſt, etiamſi eum defendere non cogatur. 23 Ultro ſcil. 24 Id eſt, mortuus. Reo intra primum lapſum moriente, fidejuſſor non tenetur, *ut hic*, intra ſecundum, tenetur. *verſ. quod ſi ſecundo. J. h. t.* adde *l.* 4. *l.* 5. *ff. qui ſatisdar.* 25 Jus purgandæ moræ fidejuſſori competens, ad ejus heredes tranſmittitur. 26 Subaudi ſcriptam. *verſ. ſancimus. ibi: litteris expoſita. J. h. t.* 27 Legendum videtur, *oſtendentem:* ut cohæreat antecedenti ſuo, cautionem. 28 Confeſſio vel conteſtatio non ſcripta, coram tabulariis facta, utrum vim habeat ſcripturæ cautionis. 29 Palæſtina advocatio, quæ & Cæſarienſis, a Cæſarea Palæſtinæ advocatione. dixi ad *l.* 30. *C. de pact. & l.* 12. *ſupr. de legitimis heredibus, ubi dixi plenius.* 30 Vid. *l.* 2. *ſupr. de off. præf. prat.* 31 Fidejuſſor judicio ſiſti ſine ſcripto accipitur in privatis cauſis, etiamſi apud tabularium fidejubeat, ὡς ἐν καταθέσει, velut cum atteſtatione. 3. *Harm.* 6. §. 29. In publicis cauſis hæc depoſitio pro ſcriptura eſt. adde *l.* 17. *ff. de in jus voc.* 32 Fidejuſſores ex *repræſentatione perſonarum* barbare hic dicuntur, qui fidejuſſerunt aliquem judicio ſiſti. 33 Atteſtatio quæ hic dicitur, nihil aliud eſt quam cautio non ſcripta confeſſio coram tabulariis facta. 34 Fidejuſſio, confeſſio vel atteſtatio facta in privata cauſa, etiam coram tabulario, ſine ſcriptis eſt fidejuſſio: non meretur denique nomen cautionis ſcriptæ, licet coram notario, inſtrumentorum & ſcripturarum opifice facta ſit. In publica vero cauſa facta hunc in modum fidejuſſio vel confeſſio apud notarium pro ſcriptura eſt: propter publicarum neceſſitatum privilegia, *ut hic.* Diverſitatis autem hæc ratio eſt, quod fidejuſſio ſine ſcriptis indefinita duorum menſium ſpatio præſcribitur: poſt bimeſtre tempus exſpirat, deſinit eſſe fidejuſſio: fidejuſſio ſcripta, eademque indefinita. (Indefinitam dicimus fidejuſſionem, cui nullum certum tempus adjectum eſt) etiam ultra duorum menſium ſpatium excurrit atque protenditur. Dubitandi ratio priore caſu fuit, quod fidejuſſio facta apud tabularium dicatur: tabularii autem munus ſit acta geſta apud ſe in inſtrumentum, commentarium & ſcripturam referre: ut niſi retulerit, erraſſe videatur, ſuoque errore contrahentibus non obeſſe. *arg. l.* 7. *C. de teſtam.* 35 Dixi *ſupr. h. t. verſ. & diviſio.* 36 Fidejuſſor judicio ſiſtendi ſine ſcripto acceptus duos ultra menſes non tenetur. Qui vero ſcripto ſe obligavit, in perpetuum convenitur, id eſt, ad finem usque triennii: tanquam ſit majus vinculum fidejuſſionis ſcriptæ, quam non ſcriptæ. Præſumunt enim auctores hujus beneficii, eum qui ex ſcripto fidem ſuam obſignare noluit, ſe in longum tempus obligare noluiſſe: quod & Iſidorus Græcus adnotat *ad l.* 8. *J. de don.* & alii ad legem 36. *ff. de fideicomm. libert. l.* 3. *in fin. ff. de adimendis legat. l.* 12. *ff. de his quæ ut indign.* & Scholiaſtes apud Harmenopulum 3. *tit.* 6. §. 30. v. Cuj. *d. loco & c.* 13. *de præſcr. n.* 13. adde *Nov.* 112. *c.* 2. 37 *l.* 23. *C. h. t. l.* 71. *ff. h. t.* Paul. 2. *ſent.* 17. §. *ult.* 38 Fidejuſſoris, mandatoris & correi ſimilitudo hæc eſt, ut ne unius eorum electione ſeu conventione alter liberatus intelligatur. 39 Olim electo reo principali, fidejuſſor, ejusque heres liberabatur: mandator non liberabatur, *d.* §. *ult.* hodie ſublata eſt ſuperior differentia. 40 Unius fidejuſſoris vel rei electione alter liberatur. Hodie jus electionis ſublatum eſt. *Nov.* 4. *cap.* 1. 41 De duobus reis promittendi. 42 Quod pactis ſit, quodque uſu conſuetum, in perpetuam legiſlationem converti poteſt: argumentum itaque a pacto ad legem obſerva. 43 Uſitata ſequi atque amplecti debemus.